

Ob-12

1889/90 W



# INDEX LECTIONUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXIX  
USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXX

INSTITUENDARUM.

---

PRAECEDIT PROF. DR. JULII MARQUARDT  
DE FUNDAMENTIS PRINCIPII ILLIUS REFLEXI: „LEX DUBIA NON OBLIGAT“  
COMMENTATIO THEOLOGICA. PARTICULA I.

---

BRUNSBURGAE, 1889.

TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).



LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. HUGO WEISS,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



1943:202

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS  
**R E C T O R   E T   S E N A T U S**  
CIVIBUS SUIS

**S.**

**De fundamentis principii illius reflexi:**

**Lex dubia non obligat.**

Nihil fere est omnium, quae in theologia morali tractantur, quod gravius difficiliusque exponatur quam doctrina de dubia sive incerta quae vocatur conscientia. Nam quum conscientiae vis et munus in eo maxime cernatur, ut certa agendi norma sit, ad quam homo dirigatur, conscientia incerta tantum abest ut actionum moderatrix esse possit, ut, qui ea affectus vere dubitat, an facere aliquid vel omittere sibi liceat, hoc facere vel omittere non possit, quin vereatur, ne voluntati divinae repugnet et sciens ac prudens peccati culpam in se admittat. Unde liquet, id illi summa opera curandum esse, ut, priusquam in ea re, de qua agitur, aliquid decernere velit et debeat, vel accurata rei consideratione vel aliorum hominum consultatione ad conscientiam certam perducat.

Quid vero, si quis, omni cura ac diligentia in eo studio collocata, dubius incertusque maneat et inter varias opiniones magis minusve probabiles fluctuare sibi videatur? Huic ut consulatur, firmis quibusdam stabilibusque praeceptis, ad ipsam vitam accommodatis, opus est, quibus ille innitens, quum de veritate rei scrupulum ex animo evellere nequeat, tamen de honestate actionis iudicium certum consequi possit, hoc est agendi rationem inveniat, qua inita jam non timere debeat, ne quid sciens contra legem officiumque faciat. Atque hoc est illud, quod theologi quasi una voce omnes docent, esse „reflexa principia“<sup>1)</sup> eademque communissima, quibus recte usi conscientiam, rebus ipsis incertis, moderari sic possimus, ut „dubio speculativo“ non sublato sed praetermisso, „certitudinem practicam“ obtineamus et, qui abesse non possimus a periculo errandi, extra periculum simus peccandi. — Quorum principiorum, ut ita dicam, principalissimum quum id ipsum sit: Lex dubia non obligat, tanto dignius putavi, quod vobis, commilitones humanissimi, oblata hac occasione explicarem,

<sup>1)</sup> Reflexa enim a theologis propterea vocantur, quod ad aliquam actionem per se dubiam ita accommodantur sive reflectuntur, ut ex eorum luce et veritate „certitudo practica“ sive „certitudo moralis“ de honestate actionis appareat. Quod quomodo fiat, praeclare illustrat s. Alphonsus, theol. moral., lib. I., tract. I., de consc. n. 69.

quanto plus momenti, quotiescumque quaestio existit „de solo licito vel illicito“ sive „de solo praecepto“<sup>2)</sup>, afferre videtur ad dijudicandam de eo legis cum libertate contentionem. Quod autem commentationem inscripsi: De fundamentis principii etc., ex hoc titulo satis cognoscetis, quo illa tendat quibusque terminis sit circumscripta.

## I.

Rem propositam aggredientes, certo nos pede graduque, ducibus praesertim sanctis Thoma et Alphonso, incessuros esse speramus, quum primum, quae ratio ac necessitudo inter legem et liberam hominis voluntatem intercedat necesse sit, ut lex voluntatem vi obligante comprehendat, accuratius quaesierimus. Quo explorato, jam apparebit, lege dubia voluntatem humanam haud ita tangi atque affici, ut haec illa obligari cohiberique videatur.

1. Quod ut probemus, paullo altius repetentes initium disputandi a natura et notione ipsius legis facimus, quam quidem omnes, si non verbo, certe re cum doctore angelico sic definiunt: „Lex regula quaedam est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur; dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum.“<sup>3)</sup> Est igitur lex moralis modus ille certus, quem, si quid agere volumus, ita in agendo servare jubemur et obligamur, ut perficiamus, quod praecipit, et omittamus, quod vetat. Nemo autem id, quod jubente lege facit, suo arbitrio facit, sed auctoritate legislatoris, neque qui legi ipse subjectus est, idem et auctor legis est. Sed ubi de lege agitur et de obligatione morali, ibi etiam alter agnoscitur superior, qui obligat, et inferior alter, qui obligatur; quumque persuasissimum nobis sit, peculiari illa et quasi recondita vi ac sanctitate, qua legem moralem in conscientiam voluntatemque nostram dominari sentimus, nullum pollere nisi solum Deum, approbante et ratione humana et sacra scriptura recte profitemur, ultimum legis obligationisque moralis principium ac fontem esse mentem et voluntatem ipsius summi Dei, ita quidem, ut leges omnes, quae in ordine morali valent, normae quaedam vocari possint, quas omnium rector et dominus vel, ut leges divinas (tum naturales tum positivas), sua ipse institutione, vel, ut leges humanas (ecclesiasticas et civiles), per vicarios in societatem imperii sui vocatos et potestate legitima moderandis rebus sive religiosis sive civilibus instructos nobis observandas proposuit.

2. Sed quamvis lex cogitari non possit sine legislatore, neque quisquam leges condere possit vere obligantes, quin justa potestate auctus sit, minime tamen ex eo solo, quod esse scimus legum auctorem nobis superiorem et ad imperandum idoneum, perspicere jam possumus, quas tandem leges ipse nobis constituerit et quid nobis praeceperit; sed „leges tunc instituuntur, quum promulgantur.“<sup>4)</sup> An forte quis, quod legislator nobis praescribere cogitat et intendit, hoc eum dicet nobis jam ante praescripsisse, quam ipse legem in medium tulit certioresque nos fecit, illud se nobis vere praecepisse? „Ratio est, quia lex, in sola mente legislatoris manens, non est nisi mera cogitatio sive intentio con-

2) Non est, quod pluribus dicam, alterum genus actionum idemque prorsus diversum esse illud, in quo quaeritur de fine aliquo necessario, quem ut obtineamus vel impediamus, absolute obligamur. In hoc quidem semper „tutiorem“ partem sequendam esse, jam res ipsa loquitur; qui enim obligatur, ut „finem“ necessarium certe obtineat, idem et obligatur, ut „media“ necessaria adhibeat, quibus adhibitis finem illum quam certissime sit assecuturus. — Lege, si placet, quae hac de re habet „Der Katholik. Zeitschrift für kath. Wissenschaft u. kirchl. Leben. Mainz 1874“ in dissertatione: „Probabilismus u. probabilistische Systeme“. IV. pag. 550 sqq., praecipue autem „Zeitschrift für kath. Theologie. Innsbruck 1878 (2. Jahrgang), 1879 (3. Jahrgang)“ in dissertatione: „Zur Frage über das Moralsystem“. I. pag. 11 sqq.

3) Thomas, summa theol. I. 2. qu. 90 art. 1.

4) Gratianus, in can. In istis, dist. 4.

stituendi legem, non vero constitutio legis, quae subditos obliget.“<sup>5)</sup> Fieri igitur non potest, ut, qui legem meditatur et condit, suae nos voluntati et legi ipsi subiciat, priusquam sententiam suam nobis aperuit legemque ipsam proposuit et promulgavit; id quod inter omnes ita constat, ut lex, quae promulgatione careat, eadem iis omni effectu vique obligante carere videatur. „Nam per solam ordinationem aut per solam suam voluntatem ne Deus quidem potest absolute creaturae imponere obligationem; sed ad hoc opus est, ut ei communicet notitiam unius aeque ac alterius“; ergo „necesse est, dari manifestationem ordinationis ac voluntatis Dei . . . per quam illa (creatura) cognoscit, quid Deus de certis rebus iudicat, ad quas vel praestandas vel omittendas ipse creaturam obligare vult.“<sup>6)</sup> Itaque „nulla lex ullum habet vigorem ante promulgationem“<sup>7)</sup>; „lex enim, ut obliget, debet innotescere; atqui lex non innotescit nisi per promulgationem, quum per eam solam eo intimetur modo, qui necessitatem obediendi inducit“<sup>8)</sup>; ex quo intelligitur, „legem aeternam defectu promulgationis non potuisse obligare creaturas ab aeterno“<sup>9)</sup>. — His innumerabilibusque fere aliis testimoniis etiam s. Alphonsus utitur, quibus confirmet, in unum omnium congruere sententias; et perlucidam illam, quam apud principem scholae hac de re invenit, expositionem totidem verbis reddens: „Lex“, inquit, „imponitur nobis per modum regulae et mensurae; regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quae regulantur et mesurantur. Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat (quod est proprium legis), oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.“<sup>10)</sup>

3. Si quis vero mirabitur, s. Alphonsus tot verba „totque auctoritates congerere studuisse ad hanc doctrinam probandam, quae a nemine in dubium revocatur, hoc eum fecisse sciat, quia ab illa firmitas sententiae pendet: nempe quod lex dubia non obligat“<sup>11)</sup> Et re vera haec sententia, quam cum eo defendimus, ex argumentis de promulgatione propositis necessario efficitur. Si enim lex, quae promulgata non fuit, nihil valet neque quemquam obligare potest, nisi cui in cognitionem venit „ex ipsa promulgatione“, difficile sane intellectu est, quomodo haec vis inesse possit legi, quae tantum abest ut promulgata sit, ut ii, ad quos pertinet, ne diiudicare quidem possint, existat ipse necne, veraque in dubitatione versentur, ecquid sibi in certa quadam re vel agendum vel omittendum praecipiat. „Hinc omnes ad asserendum conveniunt, quod lex, ut obliget, debet esse certa ac manifesta debetque uti certa manifestari sive innotescere homini, cui promulgatur . . . quia, quum lex juxta s. doctorem sit mensura et regula, qua homo mensurari et regulari debet circa suas actiones, nequaquam ille recte mensurari et regulari potest, nisi mensura et regula illa sit certa, ut obliget, quin et innotescat.“<sup>12)</sup> Quid igitur, quod illa lex, quae vocatur „strictae dubia“, ne nomen quidem legis mereri nullaque esse videtur, quippe quae ob eam ipsam causam, quia vere dubia est, id minime habeat, quod maxime legis est proprium quodque diximus esse promulgationem. Quae si deest, jam nihil aliud nobis de lege certum ac manifestum est, nisi quae nobis de ea movetur dubitatio (quaestio) aut opinio cum altera opinione pugnans; sed nemo facile vel hanc vel illam pro certa lege statuerit

<sup>5)</sup> Alphonsus de Liguorio, l. c. n. 61.

<sup>6)</sup> Joannes Gerson, de vita spir. etc. lect. 2.

<sup>7)</sup> Dominicus Soto, de just. et jure lib. 1. q. 1. art. 4.

<sup>8)</sup> Petrus Collet, theol. moral., de legib. c. 1. a. 2. concl. 2.

<sup>9)</sup> P. Gonet, clyp. de leg. d. 2. art. 2.

<sup>10)</sup> Thomas, l. c.; Alphonsus, l. c. n. 60 sqq.

<sup>11)</sup> L. c. n. 61.

<sup>12)</sup> L. c. n. 63.

tantumque valere dixerit, ut inde ea, quae soli veraeque legi inest, vis obligandi effici cogique posse videatur. Quo igitur infirmior est promulgatio, eo est lex incertior; quo autem lex incertior, eo certior libertas. Quodsi de aliqua lege, quum non satis sit promulgata, ita dubitamus, ut, diligentia etiam adhibita, perspicere non possimus, num quid nobis vel praeceptum sit vel prohibitum, de effectu quoque et vi legis inseci incertique manemus neque religionem violare nobis videmur, si libertate nostra usi id facimus, quod re consulta facere statuimus. Quapropter summo jure hanc probandi viam s. Alphonsus in prima parte suae de morali systemate dissertationis ingreditur eamque tam strenue et feliciter persequitur, ut ad exitum perveniat, quo nullus esse potest exoptatior. En integra illa verba, quibus omnia quae undique congesserat et sua ipsius et aliorum argumenta huc pertinentia quasi una comprehensione complectitur totamque hanc probationem acute concludit. Sunt enim haec: „Posito igitur principio a D. Thoma tradito ac satis superque probato, nempe quod nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti, quod idem est ac dicere, non posse legem incertam certam obligationem inducere: necessario eruitur, esse moraliter certum, quod, ubi duae opiniones aequalis<sup>13)</sup> ponderis concurrunt, non est obligatio sequendi tutiorem. Si quis autem de hujus sententiae certitudine rationem exposcat, breviter ei ex omnibus in hoc monito probatis respondebitur: quia lex dubia non obligat. Et si quaerere pergat, cur lex dubia non obliget? respondebimus hoc succincto argumento: Lex non sufficienter promulgata non obligat: lex dubia non est sufficienter promulgata (quia, dum lex est dubia, promulgatur sufficienter dubium sive quaestio, sed non promulgatur lex): ergo lex dubia non obligat. Qui argumentum hoc inficiari vellet, probare deberet, vel quod lex etiam non promulgata obligat, vel quod lex dubia est vere promulgata; contra id quod expresse docet s. Thomas et alii communiter, ut vidimus; sed nunquam harum propositionum ullam probabit in aeternum. Haec tandem sit conclusio hujus sententiae: Spectato pondere aequali utriusque opinionis, homo dubius maneret neque operari posset: spectata autem vi legis, cum ipsa eo casu non sit sufficienter promulgata, non obligat nec ligat. Et ideo homo, utpote ab hujusmodi lege dubia non ligatus, redditur certus de sua libertate, et sic licite operari potest.“<sup>14)</sup>

## II.

1. Respicientem ea, quae modo vel ipsi diximus vel ex aliis attulimus, haud facile quemquam praeterire posse existimo, duo eorum membra esse, duo argumenta. Alterum enim est illud, in quo supra maxime elaboravimus: ut probarem, non posse legem obligare, quam ut non constat esse promulgatam, ita non constat existere; h. e. legem dubiam carere vi et effectu legis certae sive, ut ajunt, „virtute obligatoria“. Quod argumentum, quum a natura et ratione ipsius legis ductum sit, recte dicitur „objectivum“. Alterum autem, illi quidem annexum et quasi consequens, vocari potest „subjectivum“, quia ad eos spectat, qui quidem legi (dubiae) contra libertatem certanti occurrere videntur, verum tamen, quum de lege sibi non satis promulgata ejusque vi ac natura certi nihil cognoscant, perspecta tum hujus legis virtute sive potius vanitate tum libertatis ratione, se vere et proprie hujus-

<sup>13)</sup> Per se intelligitur, auctorem loqui de opinionibus „aequaliter aut quasi aequaliter“ (sive „aeque vel fere aeque“) „probabilibus, quia quum inter utramque opinionem modica est praeponderantia, ita ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones aeque probabiles existimantur, juxta commune illud axioma: parum pro nihilo reputatur“. L. c. n. 55 et 57. Cf. ejusdem „Homo Apost.“, tr. de conscientia n. 77. — Quamquam interpretes s. Alphonsi in duas partes discedunt. Consule: Vindic. Alphons. etc., Romae 1873, p. 6 sqq.; Katholik, l. c. II. p. 162 sqq. Lehmkühl, theol. moral., Friburgi 1883, I. p. 68 sqq.

<sup>14)</sup> L. c. n. 67.

modi lege obstrictos judicare non possunt certioresque fiunt de libertate sua morali, cujus est, id agere, quod et placet ipsis et licet.<sup>15)</sup>

2. Neque vere hoc argumentum jam omni ex parte absolvisse mihi videor. Apparet enim, accidere posse nec semel re vera accidere, ut lex (positiva)<sup>16)</sup> ab auctore quidem sit rite satisque promulgata, sed tamen iis, quibus praescripta fuit, aut prorsus ignota maneat aut sic videatur dubia, ut, quum totos se in re exquirenda collocaverint, ipsi non percipiant, illa se lege vinctos esse depulsosque de libertate. Fingamus igitur, in eam illos adductos esse hujus legis dubitationem, ut, facta examinatione, vel de lege ipsa ejusque vi obligante vel de promulgatione vel de summa vel de partibus legis similibusve aliis pro explorato nihil habeant et libertate sua non sine gravi causa eo usque se uti posse putent, donec certa lege, quae libertatem cohibeat, ad certam agendi normam se esse alligatos viderint. Quod si usu venit, jam patet, promulgationem (a legislatore factam) per se solam nondum efficere, ut haec lex eos, quos dixi, obliget, sed necessariam etiam hi ipsi, ut videtur, legis scientiam sive cognitionem habeant oportet, qua instructi non jam prudenter justequae dubitare possint, quin lex sit libertate potentior. Itaque promulgatio id, quod intendit, non consequitur neque legem iis, qui „secundum eam regulari debent, applicat“, nisi legem simul „in eorum deducit notitiam“.<sup>17)</sup>

3. Jam si quaesieris, quid tandem sit, quod ipsis liceat, legis illius dubiae vinculo se exsolutos putare suamque sibi agendi libertatem vindicare, auctore s. Thoma respondebimus haec: „Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem, in quam agit. Unde nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam: unde nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti . . . Eadem virtus est, qua praeceptum ligat, et qua conscientia; quum lex non liget nisi per virtutem scientiae“.<sup>18)</sup> — Quae non minus vere quam presse ab angelo scholae dicta esse, nemo certe negabit, qui naturam animi humani, cujus facultatibus sua cuique virtus inest, recte perspexit. Harum facultatum duae illae, quae principatum in animo obtinent, facultas cognoscendi sive ratio et facultas volendi sive voluntas, a natura ita sunt comparatae et inter se conjunctae, ut voluntas libera, quamvis sit causa efficiens fonsque omnium actionum humanarum, tamen, ubi lumine rationis orbata est, quasi in tenebris jaceat neque sciat, quid sit suum. Quem ad modum per se omni in re tam caeca esse videtur, ut nec expetat quidquam nec

<sup>15)</sup> Brevi subtilique conclusione duo haec argumenta comprehendit G.-Ballerini, compend. theol. moral., Romae 1884, I. p. 56—57.

<sup>16)</sup> Posui supra in uncino: lex (positiva). Quod enim ad legem naturalem attinet, quam sua quisque mente sibi promulgatam esse cognoscit, promulgatio et cognitio hujus legis ita inter se conveniunt, ut altera separari non possit ab altera.

<sup>17)</sup> Notatu tamen dignum videtur, veteres theologos, quod sciam, paene omnes, ex recentioribus multos hac de re disserentes legem quam vocant „sufficienter“ sive „satis promulgatam“ intelligere esse eam, quam non solum legislator satis promulgavit, sed quam etiam ii, quibus promulgavit, sibi promulgatam esse cognoscunt, ita ut „lex alicui satis promulgata“ et „lex alicui satis cognita“ idem declarare videantur. Hanc in sententiam etiam Lehmkühl, l. c. p. 73, disputat, unde magna ex parte dilabi mihi videntur, quae contra eum protulit „Pastor bonus“, Trier 1889, p. 187 sq.

<sup>18)</sup> Quaest. disp. de verit. qu. 17. art. 3. — „Ad hoc magis explicandum doctor angelicus eodem loco subdit: „Ad videndum autem, quando (conscientia) liget, sciendum quod ligatio metaphorice a corporalibus ad spiritualia sumpta necessitatem importat; ille enim qui ligatus est, necessitatem habet consistendi in loco ubi ligatus est, et aufertur ei potestas alio divertendi“. Sicut igitur contra, qui ab aliquo vinculo actualiter non est ligatus, habet potestatem divertendi quo vult, ita qui non est ligatus per scientiam praecepti, liber est ab obligatione praecepti“. Alphonsus, l. c. n. 65.

detestetur, quod non intelligentia ei vel expetendum vel detestandum proposuit, sic etiam a praecepto morali aliena manet atque intacta, nisi per rationem arctiori legis societate contingitur eoque adducitur, ut vera lege ad necessitatem agendi se esse adstrictam sentiat. Ita legis scientia sive cognitio „moraliter certa“ quasi vinculum quoddam dici potest, quo voluntas humana cum voluntate divina, quae lege exprimitur, cohaeret et quodammodo in unum convenit, ex quo fit, ut nemo lege teneatur nisi antecedente legis scientia. — Atqui hanc scientiam jam nullo modo is nobis videtur habere, qui de lege ejusque vi obligante proprie vereque dubitat. Posse enim fieri, ut aliquis aliquid sciat, quod idem simul dubitat, ne cogitare quidem possumus nisi summis cognoscendi principiis perversis et perturbatis. Quod enim aliquis scit sive cognovit, id pro vero certoque habet atque ita in cognitione veritatis ipsius acquiescit, ut contrarium ex mente prorsus rejiciat et reprobet. Quod autem dubitat, id verum esse non cognovit, sed nescit, verum sit an falsum, et incertus quum sit, in contrarias sententias distrahitur. Ac ne tum quidem veritatem ipsam assequitur, sed in incerto est, quum ei contingit, ut ad opinionem perveniat, qua id, quod quaerit, putat esse probabile vel verisimile et ad hoc inclinatio est quam ad illud. Volumus quidem, aliud esse nescire sive ignorare, aliud dubitare, aliud opinari. Si jam is, qui dubitat, non omnino inscius ignarusque est, multo minus est ille, qui aliquid opinatur, sed nonnihil cognoscit. Cognoscit enim uterque causas ac rationes, quibus ille movetur, ut dubitet, hic, ut opinetur, suoque jure is uti videtur, qui huic vel illi opinioni, cui quibusdam de causis majorem minoremve deberi putat probabilitatem sive verisimilitudinem, magis minusve assentitur. Attamen quum sibi persuaserit, posse quidem re vera etiam alteram opinionem eadem probabilitate et assensione dignam esse, eo semper est animo, ut nesciens, utra sit vera, iudicium certum cohibeat et hanc vel illam opinionem tum demum assensu puro et firmo tenendam esse iudicet, quum forte in ea (sola) veritatem ipsam positam esse aliqua via certe cognoverit.<sup>19)</sup> Quam ob rem sola cognitio rationum probabilium et quae ex ea manat opinio magis minusve verisimilis tantum abest, ut certam illam cognitionem et scientiam, qua veritatem ipsam percipimus firmoque assensu amplectimur, afferre possit, ut rem ipsam, cui aut favet aut adversatur, incognitam incertamque relinquat atque inscientiam veritatis ipsius secum comprehendat. Vel ut aliis paucisque verbis idem dicam: „Cognoscere“ et „non cognoscere“, „scire“ et „nescire“, „certum esse“ et „incertum esse“ notiones sunt disparatae sive, ut ajunt, contradictoriae, inter quas, si agitur de eadem re, cogitari non potest quidquam esse medium. Ergo tam „dubitare“ quam „non cognoscere“ et „nescire“, tam „opinari“ quam „incertum esse“, quamvis specie inter se non congruant sed differant, genere tamen omnia in id unum redeunt et conveniunt, ut scientiae (cognitioni) et certitudini contraria sint partesque inscientiae (ignorantiae), quae, si quid cognitum certumque habemus, ne locum quidem in animis nostris habent.

<sup>19)</sup> Thomas, l. c. qu. 14. art. 1: „Intellectus noster possibilis respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem aequalitatem eorum, quae movent ad utramque partem: et ita est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipsum in unam partem totaliter; unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita: et haec est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius . . . Patet ergo, quod dubitans non habet assensum, cum non inhaereat uni parti magis quam alii, similiter nec opinans, cum non firmetur ejus acceptio circa alteram partem . . . Intelligens autem habet quidem assensum, quia certissime alteri parti inhaeret: non habet autem cogitationem, quia sine aliqua collatione determinatur ad unam . . . Sciens vero habet et cogitationem: et assensum, sed cogitationem causantem assensum, et assensum terminantem cogitationem“. Cf. ejusdem S. theol. I. qu. 79 a. 9 ad 4, et: Lib. 1. poster. Annal. I. 1.



4. Quod si ita est, id, quod de omni re ejusque cognitione diximus, idem transferre etiam ad eam veritatem necesse est, quae ad institutionem rectae honestaeque vitae pertinet moralemque nobis agendi necessitatem injungit, dico legem. Quamdiu igitur aliquis vel vera in dubitatione vel sola in opinione (quam ad liquidum certumque nondum perduxit) de lege aliqua permanet, tamdiu — licet rationes, quas habeat dubitatio aut opinio legis, perspiciat — ipsam legem et necessitatem moralem re vera non cognoscit, sed ignorat; quumque ignoret, religionis officiique partes non excedit neque peccatum poena dignum admittit, si justis de causis libertatis ratione habita id agit, quod quominus agat, nulla se lege videt impeditum. Stare igitur oportet in eo, quod judicatum est: „Lex dubia non obligat“, nec ligat lex nisi „mediante scientia“; eoque firmiter in hoc judicio stare oportet, quod, qui hoc negare voluerit, non poterit, quin, reprobato „principio contradictionis“, scepticismum quem vocant approbet et ad ipsum usum adjungat neque solum omnes cognoscendi, sed etiam recte vivendi agendique leges in dubio incertoque et sitas et relinquendas esse censeat.<sup>20)</sup>

Quod autem ad theologorum hac de re sententiam attinet, s. Alphonsus P. Patutio, adversario acerrimo, qui objecerat, „ad reddendam legem sat promulgatam satis esse notitiam tantum probabilem, quae ex opinione probabili stante pro lege jam habeatur“, et „sub voce scientiae non intelligi cognitionem certam, sed tantum simplicem praecepti notitiam, quae (ut ait) in nostro casu probabiliter jam habetur ob utriusque opinionis probabilitatem“ — ad haec, inquam, quid sibi videatur, s. Alphonsus ex communi doctissimorum auctorum consensu hunc in modum respondet: „Quod sub nomine scientiae intelligitur probabilis notitia, haec est novi vocabularii nova significatio, dum philosophi omnes cum s. Thoma distinguunt opinionem a scientia, quae accipitur ut cognitio certa alicujus veritatis . . . Pariter dico, in omnibus vocabulariis notitiam pro eodem significari ac cognitionem, unde notitia legis idem est ac cognitio legis.“<sup>21)</sup>

### III.

Quibus rebus cognitis, jam accuratius videre licet, quae sit illa via ac ratio, qua omnis lex moralis a primis inde initiis quasi per gradus quosdam ad liberam hominis voluntatem perveniat eamque vi obligante ad certum praeceptum adstringat. Ita procedentes, quid sit de lege dubia judicandum, vix habebimus, quod pluribus disseramus.

1. Verum est nec ab ullo theologo vere christiano negatur, esse legem principalem eamque aeternam, quam Deus sapientissimo consilio ante omnia haec tempora universo mundo praestituerit, neque unquam Deus universi ullam partem — nec rerum naturam nec gentem humanam nec angelorum hierarchiam — creare voluisse nisi suae quamque legi subjectam. Nam quum Deus, qua est immutabili sapientia et voluntate, in tempore nihil agat atque efficiat, quod non aeterno consilio conceperit, ab omni inde aeternitate non solum rerum omnium, quas ex nihilo condere voluit, cogitatione sua praecepit naturam et rationem, sed etiam sanctitate voluntateque sua praeformavit rerum ordinem omnibusque creaturis pro sua quibusque indole ac natura decrevit observandum. Quem ad modum igitur res sensibus obnoxias non potuit non ea lege aeterna instituere et ordinare, ut numini divino vi quadam necessaria parere cogantur, sic hominibus ratione et libertate praeditis ab aeternitate legem moralem conderet oportuit, qua instituti voluntati divinae libero arbitrio obtemperent beneque morati in vita tum religiosa tum humana, et privata et publica, ordinem moralem ser-

<sup>20)</sup> Subtiliter hac de re disputatur in „Zeitschrift für kath. Theologie etc.“, l. c. III. p. 86 sqq.

<sup>21)</sup> L. c. n. 71 et 76.

vent ad finemque tendant ultimum. Tantamque vim aeterna haec lex, quippe quae sit summa ratio et voluntas ipsius imperantis prohibentisque Dei, habere a theologis dicitur, ut „in temporali lege nihil sit justum ac legitimum, quod non ex aeterna lege homines sibi derivaverint“;<sup>22)</sup> nullaque lex temporalis vim vere obligantem accipiat et exerceat, quae non ex illa lege ducta sit. — Quid vero? Hincne forte colligitur, legem aeternam, quam Deus simul cum natura humana deliberatam semper et constitutam habuit, libertate humana esse potiore eique vi obligante sic praestare, quasi jam sola per se suaque ipsius vi voluntatem humanam ad iussa voluntatis divinae et vel ad ea, quae vocamus dubia, ab aeterno videatur alligasse? Minime id quidem.

2. Nam ut praetermittamus, quod Deus hominibus non omni in re certi quidquam praecepit neque aut faciendi aut omittendi necessitatem moralem imposuit, sed medias quasdam res, quae nec laudari per se nec vituperari possunt, hominibus permisit, ut ex iis optent, quam velint, dummodo agant honeste — quis est, quin videat, legem aeternam, ex qua quidem quasi ultimo ex fonte reliquae omnes nascuntur, tamen per se ipsam et solam ab homine hac in aetate constituto longius esse remotam ac disjunctam, quam ut voluntatem humanam attingat contactuque suo obstringat, neque prius posse vim obligantem in hominem exercere, quam et hic ipse re vera existat eique lex aeterna per singulas leges temporales sive naturales sive positivas exhibita sit et proposita? In ista igitur sumus sententia, qua theologos semper fuisse scimus, quibus lex aeterna, quum in se vim obligantem semper habuerit atque habeat, „actualiter“ tamen non ligare videtur nisi „mediante lege naturali vel positiva“, „sicut ignis in se vim habet comburendi, sed non comburit actualiter, nisi postquam rei urendae applicatur“;<sup>23)</sup> Unde novum omnibus fuit et incognitum, quod P. Patutius, pertinacia et vincendi studio non minus insignis quam eruditione ingenique acumine, sine omni dubitatione docuit, „saltem leges divinas ab aeterno promulgatas fuisse et usque ab aeterno obligandi habuisse virtutem, priusquam creaturae legem audirent et cognoscerent“. Quam opinionem ante illud tempus inauditam haud scio an postea tam aperte ac nude, quam ille protulit, renovare quisquam ausus sit, ex quo s. Alphonsus, verae libertatis contra perniciosum rigorismum defensor atque vindex, argumentis firmissimis eam convicit splendidissimeque demonstravit,<sup>24)</sup> contrariam esse quum omnium aliorum tum vero maxime eorum, quorum verba P. Lector jactaverat, s. Thomae ejusque discipulorum doctrinam. Locupletissimum enim sententiae suae testem P. Lector doctorem angelicum producere se posse putaverat, de promulgatione legis aeternae scribentem haec: „Dicendum, quod promulgatio fit et verbo et scripto; et utroque modo lex aeterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis; quia et verbum divinum est aeternum et scriptura libri vitae est aeterna; sed ex parte creaturae audientis et inspicientis non potest esse promulgatio aeterna“;<sup>25)</sup> — quae verba iste satis idonea habuit ad probandum id, quod suo ipse ingenio excogitaverat, neque vidit, prorsus aliter, atque ab auctore dicta sunt, a se esse accepta. Quae si attento animo nec praejudicio captus perlegisset, jam ex ea, qua s. Thomas consulto et cogitate utitur, distinctione facile perspexisset, aeternam obligandi virtutem, qualem ipse legibus divinis inditam esse intelligit et affirmat, talem iis a principe scholae non attribui sed abjudicari. Aliae sunt enim lex et promulgatio „ex parte Dei promulgantis“, aliae „ex parte creaturae audientis et inspicientis“. Si ad Deum referuntur, a quo originem acceperunt, eadem sane sunt aetate atque aeternitate, qua ipse Deus divinaque omnia, nihilque aliud nobis esse videntur quam aeterna ipsius Dei ratio et sapientia (*λόγος*); sin autem referuntur ad creaturas,

<sup>22)</sup> Augustinus, de lib. arb. lib. I. c. 6 n. 15. Cf. Müller, theol. moral., Vindobonae 1873, I. p. 123 sqq.

<sup>23)</sup> Alphonsus, l. c. n. 72.

<sup>24)</sup> L. c. n. 72—73.

<sup>25)</sup> S. theol. I. 2. qu. 91 art. 1 ad 2.

quibus quidem ab aeternitate (antecedenter) destinatae fuerunt, vi sua et effectu nihil ab aeternitate illa valent, sed hoc demum in tempore (consequenter) vim obligantem obtinent, et ab eo quidem temporis vestigio voluntatem humanam divino vinculo obstringunt, quo per leges temporales tum naturales tum positivas jussa legis aeternae omnibus et singulis proponuntur et applicantur.<sup>26)</sup> Quo posito et lege aeterna per praecepta temporalia tamquam e coelo has in terras deducta satisque per orbem terrarum promulgata, creaturae rationis participes ad certas agendi regulas se esse alligatas sentiunt, ad quas si vitam dirigunt, sic sunt informatae et moratae, ut ad legem aeternam rerum omnium summam normam et reatricem, libera voluntate se suaque omnia similiter conforment, atque res corporeas videmus ad hunc concentum coactas esse dira vi ac necessitate. — Optime igitur Franc. Sylvius rem perspexerat, qui eundem illum, quem postea Patutius monachus tam perverse explanavit, s. Thomae locum jam multo ante interpretatus: „Lex aeterna“, inquit,<sup>27)</sup> „fuit ab aeterno lex materialiter, non fuit tamen ab aeterno formaliter seu sub ratione legis actualiter ligantis: quia tunc non fuit actualis et perfecta promulgatio“.

3. Errant etiam, qui cum eodem Patutio sic nobis occurrere volunt: Lex aeterna, ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans, quia una cum anima homini innata est et quasi insculpta, „hominem jam ligat usque ab ipsius conceptione; Deus enim, quum legem in anima imprimit, tum illam etiam promulgat“.<sup>28)</sup> Neque videmus, quo jure ad tuendam hanc sententiam afferre possint illud s. Thomae: „Promulgatio legis naturae est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam“.<sup>29)</sup> Qui enim in eodem articulo summae theologicae diserte planeque exposuit, non posse legem vim obligandi obtinere, quae non in „eorum, qui secundum eam regulari debent, notitiam sit deducta ex ipsa promulgatione“, is certe, ne dixisse videatur pugnantia, dubitari non potest, quin verbis iis, quibus naturalem legis in anima impressionem docuit, eandem notionem subjici voluerit, quam subiecit Sylvius interpres, qui ait „addendum esse, legem naturalem quasi promulgari in habitu eo ipso, quod Deus illam mentibus hominum inserit . . . Actualiter autem tunc unicuique promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit dictantem, quid juxta rectam rationem naturalem sit amplectendum, quid fugiendum“.<sup>30)</sup> Quod idem melioribus etiam verbis Alphonsus: „Proprie et stricte loquendo, in infusione animae jam non inseritur lex, sed inseritur lumen, quo lex cognoscenda erit ab homine, quum pervenerit ad usum rationis, sive inseritur potentia, capacitas siveabilitas ad legem cognoscendam tempore usus rationis. Et tunc, quum homo legem cognoscet, lex ei perfecte et vere promulgabitur eumque ligabit; alioquin, usquedum lex non deducitur in hominis notitiam ex promulgatione, docet s. Thomas, legem virtutem obligandi non obtinere“.<sup>31)</sup> Quare hoc quidem effectum et exploratum sit, lege aeterna neminem obligari posse nisi per leges temporales, quibus illa promulgatur et ad cognitionem humanam perfertur. Lex enim aeterna, quemadmodum in mente ipsius Dei recondita est et concepta, a solo Deo et beatis illis, quibus Deus se ipsum intuendum praebet, coeli incolis percipitur; dum erimus in terris, ex effectibus tantum eam perspicimus, sicut solem, quem cernere tangereque ipsum non possumus, e splendore radiisque cognoscimus. — Si vero res ita se habet, quis tandem rem ita vertet, ut dicat,

<sup>26)</sup> Idem theologi intelligi volunt, qui ut legem „antecedenter et consequenter“, ita legem „materialiter et formaliter“, „virtualiter et actualiter“, „in actu primo et in actu secundo“ obligantem distinguunt. Vid. Alphons., l. c.

<sup>27)</sup> In I. 2. qu. 91 art. 2.

<sup>28)</sup> Apud Alphons., l. c. n. 73.

<sup>29)</sup> L. c. I. 2. qu. 90 art. 4 ad 1.

<sup>30)</sup> In I. 2. qu. 90 art. 4 in fin.

<sup>31)</sup> L. c.

lege aeterna ad servandas leges omnes et vel ipsas dubias sic esse nos coactos, tamquam jam omnes illa lege in lucem prolatae sint satisque nobis promulgatae?

4. Immo potius illud, quod omnes tenent et profitentur: „Nihil volitum nisi praecognitum“, vel maxime nobis valere videtur, quum agitur de legibus vitae et officiis. Quapropter leges etiam temporales tum naturales tum positivae auctoritate divina, quam ex lege aeterna duxerunt, voluntatem nostram non prius contingunt, quam cognitione eas percepimus et voluntati observandas proposuimus. Neque enim voluntatis, sed rationis humanae est, veritates illas „practicas“, quas haec leges continent, comprehendere et intelligere; neque igitur voluntas iis affici dirigiue potest, nisi ratio eas cognitione praecepit et quasi lucernas quasdam, quas in volendo agendoque sequamur, praetulit. Itaque ad id revertimur, quod jam pro explorato habemus: „Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti“, neque ulla cogitari potest voluntaria legis violatio, ubi nulla est legis cognitio.

Ac positivam quidem legem, licet „in foro externo, quum a legislatore jam promulgata fuerit, omnes scire praesumantur, respecta vero conscientia eum minime peccare, qui legem sibi ignotam non servat“, nisi forte ob negligentiam suam ut nesciat acciderit, omnes consentiunt; adduntque etiam plurimi, „non eos tantum putandos esse nescios, qui legem omnino ignorant, sed illos quoque, qui post debitam diligentiam de ea dubitant“. <sup>32)</sup> Nemo enim id pro lege vera sibiue cognita valere dicet, quod, quamvis diligenter inquisierit, tamen vere dubitat, sitne tabula sive codice legum sive alio modo legitimo promulgatum sibiue praescriptum. — Quod autem legem naturalem neque nunciis neque litteris alienis promulgatam esse scimus, sed infixam ipsi naturae mentique humanae, quam qui persecutantur atque excolunt, iidem et legem naturae ejusque praecepta singula colligere videntur, res ipsa docet, non omnes posse omnia investigare. Sunt prima summaque naturae judicia et praecepta, quae solis luce omnibus videntur clariora; alia sunt, quae ex his viri saltem doctrina virtutisque studio eruditi eruere pernoscereque possunt et cum insciis rudibusque communicare; alia ne a doctis quidem penitus perspicere planeque cognosci possunt, sed obscura incertaque manent, in quibus non videmus quomodo obligari possit „per virtutem scientiae“, qui omni, qua decet, diligentia et religione adhibita, gravi de causa dubitat, numquid lex naturae vel jubeat vel prohibeat. <sup>33)</sup>

5. Accedit, quod voluntas nostra libera proprie vereque obligari non potest nisi ea lege, qua nobis necessitatem moralem h. e. verum certumque officium imponi intelligimus. Aliud est enim officium, necessarium, debitum; aliud consilium, utile, commendatum. Itaque in rebus etiam dubiis eo potior pars est libertatis, quo minor in iis est necessitatis debitaue officii intelligentia.

Sed haec aliaque, quum graviora nobis esse videantur, quam quae verbo transigi possint, jam in alteram partem commentationis differenda esse duximus.

<sup>32)</sup> Alphonsus, l. c. n. 72.

<sup>33)</sup> Lehmkuhl, l. c. 73 sq.

# LECTIONES.

---

## A. ORDINIS THEOLOGORUM.

---

**Dr. Franc. Dittrich, P. P. O., h. t. Decanus.**

- I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit quater per hebd. hora IX—X.
- II. Jus canonicum tradet bis per hebd. hora IX—X.
- III. De arte veterum christianorum disseret semel per hebd. hora definienda.

**Dr. Henric. Oswald, P. P. O.**

- I. Doctrinam de Sacramentis deque Novissimis rebus tradet quater vel quinquies per hebd. hora X.
- II. Repetitorium dogmaticum examinandi et disputandi causa instituet semel per hebd. hora X.
- III. Selecta capita libri Geneseos interpretari perget bis terve per hebd. horis designandis.

**Dr. Hugo Weiss, P. P. O.**

- I. S. Pauli utramque epistolam ad Corinthios interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
- II. Antiquitates Hebraeorum tradet bis per hebd. hora II.
- III. Repetitiones exegeticas instituet horis definiendis.

**Dr. Jul. Marquardt, P. P. O.**

- I. Theologiae moralis partem generalem docere perget quinquies per hebd. hora XI.
  - II. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet semel per hebd. hora def.
  - III. Historiam literariam ecclesiae primaevae continuabit hora def.
-

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

### Dr. Jos. Krause, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Psychologiam tradet ter per hebd. hora X.
- II. Metaphysicem docebit ter per hebd. hora X.
- III. Exercitationes paedagogicas moderabitur bis per hebd. hora def.

### Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiae mediæ aevi partes praecipuas tradet ter per hebd. hora XI.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebd. hora XI.
- III. De linguae theodiscae cum aliis linguis cognatione, aut de critica historiae tractandae ratione disseret semel vel bis p. hebd. hora XI.

### Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

- I. De arte antiqua disseret ter hebdomade hora IX.
- II. Tertulliani apologeticum cum commilitonibus leget bis hebdomade hora IX.
- III. Exercitationes latine scribendi et loquendi moderabitur hora def.


### Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

- I. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu disserere perget bis hebd. hora VIII.
- II. Astronomiam popularem docebit ter per hebdomadem hora VIII.
- III. Quaestiones mathematico-philosophicas tractabit semel hebd. hora VIII.
- IV. Calculum differentialem et integralem explicabit horis def.

---

## Publica doctrinae subsidia.

- I. Bibliotheca, cui praest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
  - II. Instrumenta, quae ad physicam, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Killing**.
  - III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt**.
-



03824